

homines vigilantes aut dicunt aut promittunt. An verò quæ sequuntur, nempe Salomonis oratio, aut Dei promissa, aut dicta fuerint, aut audita à Salomone vigilante, obscurum est, de quibus nobis aliquid necessariò dicendum.

Constans est omnium sententia non solum dormienti Salomoni apparuisse Dominum, sed etiam illum dormientem et somniantem postulasse sapientiam, neque meruisse quidquam, quia non habuit eo rerum articulo usum liberum arbitrii, sed ligatum à somno. Ita apertè D. Thomas 1-2, q. 113, art. 2, et 2-2, q. 154, art. 5, ad 1: « Salomon, inquit, non meruit in dormiendo sapientiam à Deo, sed fuit signum præcedentis desiderii, propter quod dicitur talis petitio Deo placuisse. » Ibi citat Augustinum lib. 12 in Genes. ad litteram cap. 14. Sunt qui putent sopitis à somno sensibus, fieri tamen posse ut vigilet mens, quòd non semper phantasmatum indiget ministerio, quod accidisse putant Salomoni hoc loco, quem orando in somnis existimant meruisse sapientiam, quam sibi postea divinitus infusam agnovit. Ita Salmeron tom. 5, tract. 22. Quod tenent Lyra, Dionysius. An id fieri possit, aut aliquando contigerit, non disputo, quia alienum est ab instituto meo; disputant alii accuratè et longè. Vide Pereiram de Observatione somniorum q. 4, et lib. 1 in Daniele q. 7, ubi tandem concludit in hoc Salomonis somnio, aut somniantis oratione nullum fuisse meritum, et Pinedam in Salomone prævio lib. 3, cap. 8; Conimbricenses in parva moralia Aristotelis, de somniis cap. 6, ubi de hoc Salomonis som-

nicis exitus: « Non rediturus, inquit, ad veniam Judas, quòd ad traditionis perfidiam nocte exiisse perhibetur, dicente Joanne cap. 13: *Erat autem nox*. Et iniquo diviti dicitur Lucae 12: *Hæc nocte repetent animam tuam abs te*; anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte moratur. Hinc est quòd Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hæc et nocte accepisse describitur. » Hæc Gregor., ex quo Rupert. Eucherus et alii eadem descripserunt.

Addit Rupert., carpitque Salomonem, quòd sapientiam, non sanctitatem petierit: « Tamen in eo, inquit, reprehensibilis est, quòd datæ sibi optione, tam pronè ad dandum largitate Domini, bonum illud quòd verum et summum est, non postulavit. » Verùm hoc bonum includitur in sapientiâ, quam postulavit Salomon, uti docet S. Ambros. in Psalm. 118, ad illa: *In toto corde meo exquisivi te*. Unde Sapient. 9, Salomon postulans à Deo sapientiam ait: *Ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore*. (Corn. à Lap.)

nio; S. Bonaventuram d. 25, q. 6 ad 1; Ricard. de Mediâ Villâ, quodlib. 1, q. 17, ubi ex divino privilegio putant hi duo potuisse mereri Salomonem.

In hæc auctorum concertatione, primùm mihi videtur, tam Dei promissionem, quàm Salomonis orationem, et sapientiæ singulare donum, et alia, quæ cum sapientiâ cœlitus collata sunt, accidisse Salomoni dormienti, oblatis tamen somni et promissionis memori. Quod ipse Salomon cognovit statim atque confessus est, v. 15: *Igitur evigilavit Salomon* (postquàm nimirum promissiones et oratio, largaque impetratio ejus præcesserant), *et intellexit quòd esset somnium*.

Videtur secundò neque in Salomonis somnio fuisse meritum, neque propriè orationem fuisse. Ita S. Thomas supra cum Augustino et aliis, quos citant atque sequuntur Conimbricenses. Neque ratio est difficilis, si statuamus ibi nullam fuisse arbitrii libertatem. Tota difficultas est in explicando quomodò orationi Salomonis dicatur concessa fuisse sapientia, si oratio illa vacua fuit à mente atque consilio deliberante, et merum omninò somnium. At orationi suæ concessam esse sapientiam ipse docet Salomon, Sap. cap. 7, v. 7: *Optavi et datus est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ: et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius*. Sed non invenimus quo alio loco et tempore sapientiam optaverit, illamque rebus aliis prætulit, cum rerum omnium illi foret optio permessa. Neque videmus alibi divinitus illi infusam fuisse sapientiam.

Solutionem hujus difficultatis, quæ non videtur esse levis, adhibent S. Thomas et Augustinus supra. Putant enim orasse hoc ipsum sæpè Salomonem vigilantem, et optasse sapientiam, quia aliter non putabat tantum populum posse in officio et religione contineri. Quare cum hæc foret diu ac sæpè meditatus, diu item ac sæpè judicaverat sapientiam rebus omnibus quas homines amant et admirantur, esse præferendam; idcirco illam unam postulavit à Domino, aliarum rerum immemor, quas hujus comparatione nullius esse pretii judicabat. Fieri porrò solet, ut quotidiana docet experientia, ut quæ meditabamur vigilantes interdum, illa dormientibus sic occurrant expressis ad veritatem imaginibus, ut vanas rerum species non possit interdum homo solutus jam à somno à veris solidisque distinguere. Hujus rei exempla sunt plurima, et

sanctorum Patrum, et profanorum hominum præclara testimonia. Explicuit hæc multis Petronius Arbiter, cujus libet verba transcribere, quia nostro instituto maximè sunt accommodata, quæ sumpsisse videtur ex Lucretio lib. 4:

*Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,  
Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt,  
Sed sibi quisque facit. Nam cum prostrata sopore  
Languent membra, quies et mens sine pondere ludit,  
Quidquid luce facit, tenebris agit: oppida bello  
Qui quatit, et flammis miserandas sævit in urbes,  
Tela videt, versatque acies, et funera regum  
Atque exundantes profuso sanguine campos.  
Qui causas orare solent, regesque forumque,  
Et pavido cernunt inclusum corde tribunal;  
Condit avarus opes, defossumque invenit aurum;  
Venator saltus canibus quatit, eripit undis,  
Aut premit eversam periturus navita puppim;  
Scribit amatori meretrix; dat adultera munus,  
Et canis in somnis leporis vestigia latrat;  
In noctis spatio miserorum vulnera durant.*

Hæc eadem alii, ut Seneca in Octaviâ:

*Quæcumque mentis agitat infestus vigor,  
Ea per quietem sacer et arcanus refert,  
Veloque sensus.*

Longum esset referre quid profani dixerint, scripseruntque. Nonnus ait somnium imaginem esse eorum quæ interdum agimus aut cogitamus: « Somnium, inquit, exemplar est operis peracti. » Quod variis deinde exemplis confirmat.

Neque minus sancti graviter et frequenter. Gregorius Nissenus, lib. de Opusc. hominis, somnia quædam, quale fuit hoc Salomonium, similia esse dicit citharæ, cujus fides, etiam dum cessant aut digiti aut plectrum, adhuc tamen moventur et tinniunt. Idem Basilius oratione 2 de precatione: « Noli propter stuporem, qui fit in somno, mediam vitæ partem inutilem facere, sed tempus noctis divide, cujus partem tribue somno, partem precationi, imò etiam et ipse somnus pietatem meditetur: solent enim ut plurimum hæc imaginationes quæ in somnis fiunt, veluti extremæ quædam resonantiæ esse curarum diurnarum. » Hic Basilius locus casum mihi videtur Salomonis proponere, qui sæpè ante hoc tempus, et eadem nocte proximè ante somnum orationi intentus videtur aliarum rerum, immemor sapientiam à Deo postulasse. Quod cum fecisset toto animo in eam curam intento, cui ea cogitatio altius insederat, nihil mirum, si

quod proximè meditabatur vigilans, idem dormienti statim occurreret.

Ex his videtur effici quod ex S. Thomâ et Augustino supra adducebamus, Deum non respondisse orationi quam habuit aut habuisse sibi visus est Salomon in somnis, sed quam vigilans habuit aliis sæpè temporibus, quæ orationi proximæ quàm simillima fuit. Quod etiam tenet Bonaventura, d. 15, q. 6, dum dicit non placuisse Salomonem dormiendo, sed ideò illi apparuisse Deum in somnis, quia vigilando et præcogitando placuerat. Ex his etiam intelligitur quomodò Salomon prius accuratè præstiterit, quod ipse aliis ad sapientiæ studium tantoperè commendat, Sap. 6, v. 15: *Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit*. Acquisivit enim illam vigilando, non somno deditus aut inertiae, licet illam à divinâ manu consecutus sit.

APPARUIT AUTEM DOMINUS SALOMONI PER SOMNIUM NOCTE. Commune est theologorum placitum apparitiones has quæ à Domino factæ fuisse in Scripturâ dicuntur, factas esse per angelos, qui quoniam quâdam pro Deo legatione fungebantur, Dei nomine cum hominibus agebant. Quâ de re pluribus nos in nostris Commentariis super Acta ad illud c. 7, v. 30: *Apparuit illi in deserto montis Sina angelus*. Ubi qui Exod. 3, vocatur *Dominus*, eo loco dicitur *angelus*, et rursus idem statim v. 32, dicitur *Deus Abraham*. Neque aliter loquitur, quàm si esset verus Deus, et non tantum significatus, et quasi adumbratus in angelo: *Ego sum* (ait angelus Dei nuntius), *Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*; et statim rursus v. 35: *Dixit autem illi Dominus*, qui illic iterum vocatur *angelus* v. 35 et 38, ubi illa de angelo dicuntur, quæ in unum Deum convenire poterant, quia nimirum Dei personam tanquam legatus referebat. Idem etiam apparet Gen. c. 22, v. 11, ubi angelus dixit Abraham: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam; nunc cognovi quòd times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me*; et statim v. 15: *Vocavit autem angelus Domini Abraham secundò de cælo, dicens: Per memetipsum juravi, etc.*; sic etiam iste, qui apparuit Salomoni, angelus fuit, utpote Domini legatus nomen sibi Dei assumit, et verba quæ uni tantum Domino conveniunt.

VERS. 6. — ET AIT SALOMON: TU FECISTI CUM SERVO Tuo DAVID PATRI MEo MISERICORDIAM MAGNAM, etc. Quæ nunc dormiens dicere, atque orare visus est Salomon, illa eadem vigilans

sæpè, et nunc proximè dixerat. Hæc porrò oratio ita gratias agit Deo propter misericordiam, quæ parentem suum complexus est, ut nonnullas etiam rationes proponat propter quas, quod orat, à Deo possit, imò et debeat exorare. Ait enim accepisse Davidem à Deo dona, quæ licet à misericordiâ profecta fuerint, unde ipsa quoque misericordiâ vocantur, tamen Davidis merita fuerunt non exigua, cum ambulaverit coram Deo in toto corde in veritate et justitiâ. Neque defuncto Davide finitæ fuerunt in ejus genus et familiam misericordiæ. Nam illius loco ad thronum ascendit, non ex aliâ tribu, vel familiâ, sed ex illius semine, ut præsens testatur dies. Qui sanè rex non ab alio, quàm ab ipso Deo constitutus est (id enim valet: *Tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo*), et id constat ex lib. 2 Regum c. 7, v. 12, et 1 Paral. c. 28, v. 15, quæ etiam ratio movere debet Deum, ut illi quem regem suo populo præfecerat, de rebus quæ ad rectam illius administrationem pertinerent abundè provideret; lib. 2 Par. c. 1, hoc ipsum magis explicatur, ubi Salomon divinam fidem appellat. *Nunc ergo, Domine Deus, impleatur sermo tuus, quem pollicitus es David patri meo: tu enim me fecisti regem*, etc.

VERS. 7. — EGO AUTEM SUM PUER PARVULUS, ET IGNORANS EGRESSUM ET INTROITUM MEUM. NUNC SUAM PROPONIT INDIGENTIAM, ET TANTO MUNERI FACULTATEM IMPAREM. PRIMUM AB ÆTATE, À QUÀ LONGÈ ABEST PRUDENTIA, ET ILLA QUÆ APPELLARI SOLET USUS DISCIPLINA, ID EST, EXPERIENTIA: QUÆ ENIM EXPERIENTIA IN ILLO, JUDICIIQUE MATURITAS, QUI PARVULUS EST, NEQUE IN REBUS QUIBUSCUMQUE ALIQUID HABET DEFINITUM ET CERTUM, QUOD SEQUATUR? (id enim valet egressum suum et introitum ignorare.) *Populus autem innumerabilis est, sicut pulvis terræ* (sic habes lib. 2 Par. c. 1), cujus habenas moderari ejus est, in quo vulgaris non sit aut experientia rerum, aut judicii maturitas. Quoto verò anno regnare cœperit Salomon, jam à nobis paulò ante dissectatum est.

VERS. 9. — DABIS ERGO SERVO Tuo COR DOCILE, UT POPULUM TUUM JUDICARE POSSIT, ET DISCERNERE INTER BONUM ET MALUM. Lib. 2 Par. c. 1, v. 10, paulò aliter: *Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo*. Ingressi et egredi, juxta Hebræorum idioma, idem est, atque administrare, et judicare liberè, sicut principes faciunt supremi in aliqua republicâ, qui nullius premuntur imperio;

qui quoniam *clavem* habent regni (hæc enim imperii symbolum est), ingrediuntur egrediunturque, quancumque libuerit. Id quod uno judicandi verbo hoc loco significatum est. Cor autem docile idem fortassè est, quòd *doctum et intelligens*, ut respondeat sapientiæ et intelligentiæ, quam lib. 2 Paral. c. 1, postulasse traditur. Etenim nomina hæc, quæ non tam possessionem, quàm dispositionem indicant, seu, ut dicunt physici, non tam actum significant secundum quàm primum, interdum possessionem indicant, seu actum secundum, sicut nomen huic simile, *docibile*, pro *docto*, ponitur Joan. 6, ubi Christus: *Scriptum est in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei*. Hoc autem est apud Isai. cap. 54, v. 15: *Universos filios tuos doctos à Domino*.

Sed transtulit hic Vulgatus optimè *docile*, Hebr. *leb someahh*, id est, audiens. Sed reverà principis, in eâ præsertim ætate, in quâ tunc erat Salomon, ea summa videtur esse sapientia atque intelligentia, si se ab illis regi sinat in quibus propter ætatem, et judicii maturitas est, et usu multiplex rerum experientia comparata: qui enim aliorum prudentiæ obsequentem se præbet, ille dominus est illorum judicii atque prudentiæ, quibus omninò utatur pro suis. Atque ideò qui cor postulat docile, quodque facilè regi ab aliis atque formari possit, sapientiam postulat et intelligentiam, qualis ab ætate juvenili optari, et in ætate juvenili maximâ spectari potest. Quare si rem rectè expendas, ab hoc loco ille alius Paralipomenon in solo tantum dicendi genere dissentit. Sed alio præterea modo locus hic cum lib. 1 Paral. conciliari posset, et fortassè meliùs: libri enim illi, ut à me alibi sæpius observatum est, multa explicant, quæ in libris Regum traduntur obscurius, multa addunt, quæ ibi fuerant ommissa. Petierat, opinor, Salomon à Domino sapientiam et intelligentiam, ad regium munus utiliter exercendum: quòd si illud non videretur concedendum, saltem cor largiretur docile, ut sapientiam consiliis adhæreret. Hoc posterius ex verbis dierum Salomonis, de quibus infra cap. 11, v. 41, sumpsit, qui libros Regum concinnavit. Illud posterius addidit auctor lib. 2 Paralip., neque tamen illud negavit de corde docili, sed quia iam traditum erat sacris monumentis, omisit; quòd autem sapientiam sibi et intelligentiam petierit, illud, meo judicio, manifestè confirmat, quòd infra v. 12, concessisse dicitur Deus id quòd Salomon postulasset: concessit autem cor sa-

piens et intelligens, ita ut nullus cum eo dicatur esse conferendus sapientiâ. Hoc verò aliquid addit supra cor docile. Vide quæ nos ad illum locum statim.

Hic porrò in hæc Salomonis petitione multa sunt, quæ laudet, et discat prudens et religiosus animus. Non enim petit, quæ homines plerumque admirantur et captant, non opes, non delicias, non alia, quorum usus aut malus est, aut non ubique bonus, sed sapientiam et intelligentiam. Cumque in hæc multa sint, quæ homines magis inflant quàm implent, et quorum usus ad mores componendos minùs est necessarius, illud tantum postulat, sine quo munus datum sibi à Domino sustinere ac præstare non potest: *Ut populum*, inquit, *tuum judicare possit, et discernere bonum à malo*. Quæ petitio animi est religiosi, et qui neque suo muneri, neque populo suæ fidei concredito deesse vult. Sed quia si donum hoc proprium foret, neque alienis indigeret consiliis, placeret sibi insolens animus tantum sibi, ac proprii boni conscius, si petit tantum cor docile, id petit ut se aliorum consiliis regi sinat, et quæ ab aliis traduntur sive ad rempublicam administrandam consilia, sive ad suos mores informandos præcepta cognoscat; aut certè ut se divinis legibus et Dei inspirationibus obsequentem præbeat, neque sui sibi judicii nimis sit præfractè et obstinatè tenax. Quod petiit Sap. c. 9, v. 4: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*.

VERS. 10. — PLACUIT ERGO SERMO CORAM DOMINO, QUOD SALOMON POSTULASSET HUIUSMODI REM. Placuit Domino tanta Salomonis modestia, quòd nihil petierit vanum, aut inutile, quòd nihil sibi petierit proprium, sed cum populo commune, imò quod ad populi tantum spectaret utilitatem exigeret. Illud, *hujusmodi rem*, multa secum involvit, quæ si religiosus orator accuratius expendat et evolvat, magna inveniet pro formandâ utiliter oratione, documenta. Primum vim habet maximam ad conciliandam divinam misericordiam propriæ pusillitatis et infirmitatis non simulata aut artificiosa confessio, qualis fuit hæc Salomonis, qui se puerum confitetur, et ita rudem, ut ingressum suum et egressum ignoret. Quod ita verè et ex animo Salomonem fecisse argumento est, quòd idem, ut diximus, sæpius optaverat. Neque in somnis illæ solent occurrere rerum species, quæ non priùs altius insederunt animis: hæc autem oratio non tam fuit hoc loco à vigilante expressa, quàm oblata

dormienti. Deinde quia illa petit, sine quibus implere non potest, quod sibi à Domino datum est negotii. Nam si cor tantum petit docile, illud non tam sibi petit, quàm populo et illis, quos habiturus esset à consiliis, quando sibi cor petit, quod obsequatur libenter illis, quorum Dominus prudenti rerum cognitione petus impleverit. Qui hæc petit, prudenter orat, atque ideò accepit. Multi enim petunt, et non accipiunt, eò quòd et malè, et inutilia petunt, quæ Deus hominibus quasi pater filiorum amans concedere non vult.

VERS. 11. — QUIA POSTULASTI VERBUM HOC, ET NON PETISTI TIBI DIES MULTOS, NEC DIVITIAS, AUT ANIMAS INIMICORUM TUORUM. Hæc communiter hominum deprecatio est, qui ut terrenis indormiunt et invigilant, sic in illorum oratione, et ore nihil magis assiduam. Vitam amant longam, sed de illius honestate non laborant: neque bonum divitiarum usum desiderant, sed cæco quodam impetu ad divitiarum incrementa rapiuntur, inimicorum sitiunt sanguinem, et id curant maximè, ut cum aliorum sive injuriâ sive dolore, dolori suo atque furori satisfaciant. Hæc orant, aut cum horum studio ad orationem accedunt, ex quo fit, ut cum diù et vehementer orent, illorum vota Deus et orationem non audiat.

SED POSTULASTI TIBI SAPIENTIAM, AD DISCERNENDUM JUDICIUM. Repulsam quoque tulisset, opinor, Salomon, si aliud sapientiæ genus postulasset, quod ad morum honestam conformationem non pertineret. Disciplinas, puta, physicas et astronomicas, et genealogias stultas, illa denique, quæ ex sententiâ Hieronymi Salomon videtur damnare Eccles. c. 1, v. 12: *Proposui in animo meo querere, et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in eâ. Quid enim Salomoni usds afferrent cætera afia ad benè constituendam, moderandamque rempublicam, cognitiones videlicet herbarum, astrorum, et rerum aliarum, quæ ita capiunt et complent homines, ut illos neque contineant in officio, neque ad rectum vitæ modum illustrent et informant. Illa verò cognitio, quæ æquum ab iniquo, et sacrum à profano distinguit, sic est principibus necessaria, sive ipsi discant, sive à sapienti, familiarique consiliario accipiant, ut si ab illâ ad judicium imparatus accedat, hostis potius existimari debeat æquitatis et legum, quàm illarum custos et vindex.*

ECCE FECI TIBI SECUNDUM SERMONES TUOS, ET

DEDI TIBI COR SAPIENS ET INTELLIGENS. Cor docile sibi petierat Salomon, id est, audiens, et quod se ad sapientum attemperaret consilia, quæ, ut diximus, propria et maxima sapientia, atque intelligentia juvenilis ætatis, ut supra ex lib. 2 Par. c. 1, probabamus. Videtur autem Salomon utrumque à Domino postulasse, et sapientiam ad gubernandum, et ad aliorum consilia cor non indocile, ut paulò ante nobis visum est probabilius. Dedit igitur Deus juxta Salomonis sermones, id est, juxta illud, quod oraverat Salomon: nempe sapientiam et intelligentiam, quod priori loco postulaverat, neque ingenium negavit docile, quod in adolescente singularis, et penè maxima commendatio est.

IN TANTUM, UT NULLUS ANTE TE SIMILIS TIBI FUERIT, NEG POST TE SURRECTURUS SIT. Hic nobis necessariò quærendum, fueritne Salomon ab omni ævo ad omne usque ævum omnibus sapientior, et qualis fuerit, et quanta Salomonis sapientia? Et primùm puto hic sermonem esse non de omni terrâ, sed tantùm de terrâ promissionis, juxta illam regulam, quam Hieronymus tradidit ad illud Isai. c. 43: *Et disperdam omnem terram.* « Non, inquit, totum orbem, sed omnem terram Babylonis et Chaldæorum. Idioma est enim Scripturæ, « ut omnem terram illius significet provinciæ, « de quâ sermo est. » Exempla sunt obvia; accipe hæc pauca: Actorum 2, v. 5: *Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ab omni natione, quæ sub cælo est;* ab omni nempe natione, in quâ erant Judæi. Esdræ cap. 1: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus, scilicet Assyriorum, ubi ipse regnabat.* Luca cap. 2: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, subjectus nempe Romano imperio.* Sic etiam in Scripturâ sacrâ, *omnis terra, sæpè pro terrâ tantùm promissionis usurpatur.* Quare si statuas hoc loco comparisonem tantùm fieri cum his qui in eadem cum Salomone regione vixerunt, à quo Scripturæ sacræ usus non abhorret, nihil sentires Scripturæ sacræ contrarium, et si putares fuisse complures alios, qui Salomonem aut præcesserunt ætate, aut consecuti sunt, qui illum sapientiâ non adæquârunt solùm, sed etiam superârunt. Sed puto comparisonem fieri cum omni ætate, et in omni etiam terrarum ambitu: id enim sonat littera, quæ cum nihil contineat absurdi, juxta verborum proprietatem (ut docuit Augustinus) intelligenda est. Nihilominùs, quia universale signum non semper significat universaliter (unde cum ex

aliquo numero pauci sint, qui aliquid non fecerint, omnes fecisse dicuntur; si contra fecisse pauci dicantur, nullus fecisse dicitur). Si pauci sunt, quos non excelluerit sapientiâ Salomon, omnes dici possunt ab illo sapientiâ superati. Qui tamen illi fuerint obscurum est. Sapientiores fuisse Adamum negat Abulensis q. 7, ubi Salomonem omnibus præponit, uno excepto Christo Dominò, et B. Virgine. Alii plures contra sentiunt, qui dicunt majorem Adamo datam esse sapientiam quàm Salomoni, quia illi utpote humani generis parenti ad posterorum instructionem et gubernationem multò plus sapientiæ infusum oportuit. Ita Gregor. de Valentia t. 1, d. 7, q. 2, Pereira lib. 5 in Gen. q. 3. Pineda in Salomone prævio lib. 3, cap. 10; Dionysius hic, quod mihi videtur magis verisimile.

Alii comparari tantùm putant Salomonis sapientiam cum sapientiâ regum Israel; quare multos alios inveniunt, quorum sapientiam Salomonis sapientia non æquavit: qualis fuit Adamus, Moyses, prophetarum aliqui, Apostoli (nam de Christo, et Mariâ matre nemo dubitat); ita Lyra, Cajetanus, Vatablus, Emmanuel Sâ. Quod ideò videtur non incredibile, quòd lib. 3 Regum c. 18, v. 23, cum regibus tantùm videtur comparari, neque fortassè cum omnibus, sed cum his tantùm qui Israelitico populo præfuerunt. *Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ divitiis et sapientiâ.* In terrâ autem, seu in omni terrâ, ut ante diximus, terram sæpè promissionis intelligit Scriptura; licet posterior ista sententia non sit improbabilis, tamen puto quod ad sapientiam attinet (nam de divitiis alia ratio est), comparisonem non fieri cum regibus solùm, aut cum his qui in terrâ promissionis sapientiâ claruerunt, sed cum omnibus qui ubicumque terrarum agerent, modò paucos aliquos excipias, qui tamen non impediunt quominùs dici possit Salomon ex Hebræorum idiomate sapientissimus omnium, ut paulò ante dicebamus, et observavit hoc optimè Dionysius. Qualis fuit Adamus, et fortassè Paulus, et aliqui ex Prophetis, quibus se Deus familiaritùs et frequentitùs quàm Salomoni communicavit, de quibus affirmari certò nihil potest. Quòd autem cum externis quoque hominibus conferatur, præferaturque Salomonis sapientia, liquet ex cap. 4, v. 30: *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus, etc., qui Orientales*

nominat populos, et in illis quidquid est in terrarum orbe hominum sapientum. Quomodò si quis dicat Atheniensium philosophorum aliquem sapientiam excellere, ille diceret talem hominem philosophorum omnium esse sapientissimum; quidquid enim est in terris philosophiæ, id Athenis esse putabatur. Cum verò statim additur, *sapientior Ethan Ezraita, et Heman, et Chalcol, et Darda,* perinde est, ac si quis diceret sapientiores esse Platone, Socrate, Aristotele: hic enim diceret in sapientiâ cum illo neminem debere conferri, quando isti censentur philosophorum omnium facile principes: hi enim Salomonis tempore obtinuerant primam sapientiæ laudem. In Orientalibus Chaldæi intelliguntur, et Syrii, qui de astris arcana multa cognovisse narrantur. Quales verò fuerint Ægyptiorum de re astronomicâ atque geometricâ disciplinæ, nemo nescit. Vide Justinum Martyrem, q. 25 ad orthodoxos; Clem. Alex. lib. 1 Stromat., non procul à fine; Philon. de vitâ Moysis lib. 1; Aug. de civitate lib. 8, cap. 40; vide Pereiram in cap. 1 Exod. q. 7.

De hæc Salomonis scientiâ latè Abulensis à q. 8, ubi multiplicem Salomoni tribuit, eamque perfectissimam sapientiam; quod item tractat accuratè Pineda in Salomone prævio lib. 3, c. 10. Quidam putant illam scientiam tantùm infusam Salomoni, quæ ad populi prudentem et rectam administrationem pertinet. Quia id ille tantùm petierat, et id illi tantùm concessum est. Nam supra illa quæ petierat, tantùm addantur divitiæ et gloria, et quibus nihil est cum sapientiâ commune. Sic legimus: *Postulasti tibi sapientiam, ad discernendum judicium; ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, etc.; sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi, divitiis scilicet et gloriam, etc.* Ecce quemadmodum supra illam, quam postulaverat, nullam aliam sapientiam addiderit. Idem habes lib. 2 Paralip. c. 1, v. 11; ita putat Cajetanus.

Sanè si nihil haberemus ab Scripturâ aliud, optimè Cajetanus de Salomonis inspiratâ sapientiâ cogitabat, neque ego ab illius sententiâ recederem. Sed sunt alia, quæ huic Cajetani cogitationi adhærere non sinunt. Multa enim cognovit Salomon, quæ assequi nemo, ut maximè valeret ingenio, et diuturnam operam, illamque assiduam, et aciem, et à quolibet aliâ occupatione liberam adhiberet, assequi non posset. At videmus Salomonem ante initium regnum, cum à regni molestiis vacuum

habuit et liberum otium, non potuisse tot assequi rerum perfectam intelligentiam, cum parvulus esset et, ut plerique sentiunt, non supra duodenem, quando ætas ludicris et jocularibus studiis magis erat, quàm seriis et severioribus idonea. Interim verò dum mentem intenderet, daretque regiam operam reipublicæ moderandæ, ac templi fabricæ, eequod habere potuit tantum otium, quod in tot disciplinarum studia conferretur? Quare dicendum est, illas quoque scientias cum perfectâ gubernandi intelligentiâ, eodem omninò tempore fuisse concessas. Quænam illæ fuerint, vide apud Abulensem atque Pinedam supra; mihi sat erit quod Salomon de se prædicat Sap. cap. 7; nam cum dixisset v. 7: *Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ, et præposui illam regnis et sedibus, et divitiis nihil esse duxi in comparatione illius, hæc sunt quæ hoc capite à v. 11, sacer prodit historicus de Salomone; et statim v. 17: Ipse enim (Deus) dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium, et consummationem, et medietatem temporum, anni cursus, et stellarum dispositiones. Naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum; differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa atque improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.* Neque his minora sunt, quæ dicuntur infra c. 4, v. 32: *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolarum, et fuerunt carmina ejus quinque et mille: et disputavit super lignis à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, et disseruit de jumentis, et volucris, et reptilibus, et piscibus.* Similia habes Eccl. c. 47, v. 16. Hæc nemo dicet ad politicum œconomicumque negotium esse necessaria (1).

(1) Saint Paulin, considérant la sagesse de Salomon dans le choix qu'il fit de demander au Seigneur cette sagesse même préférablement à toutes choses, nous donne sur ce sujet une excellente instruction: « Celui, dit-il, qui est tout-puissant pour donner à ceux qui se confient en lui beaucoup plus qu'ils ne demandent, donna alors à ce prince, qui se contentait de lui demander sa sagesse, toutes les richesses et toute la gloire qu'il ne lui demandait pas; et il voulut, ajoute-il, les lui donner pour cette même raison qu'il ne les avait point désirées. Il récompensa ce sage choix, qui lui faisait préférer ce qu'il y avait de plus grand à ce qu'il y avait de plus petit, en ajoutant de lui-même ces petits biens qu'il négligeait, aux plus grands qu'il lui